



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

18. An dubius de voto, & iuramento teneatur illa adimplere? Et an, qui certus est se emisisse votum religionis, si dubius dit, an religionis in communi, vel huius in particulari, possit quamlibet ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76432)

contra votum, si per vim, aut fraudem consensus impeditur. Sic docuit Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. de voto, cap. 17. §. 18.* Layman *lib. 4. tr. 4. cap. 6. concl. 2.* Sanchez verò ait, peccare te contra votum, si petas a patre ne consentiat. Sed non placet, quia hæc petitio, patris voluntatem non cogit, ac proinde non impedit eius liberum consensum, sub quo, tanquam sub conditione, Religio promissa est. Et ita docet Castrus Palaus *tom. 3. disp. 1. punct. 17. n. 8.* qui idem putat, si votum sub alterius consilio esset emissum.

RESOL. XVII.

An in dubio, verum materia voti sit bona, aut mala, teneatur quis illud adimplere?
Et quid si essent opiniones circa hanc bonitatem, vel malitiam? Ex part. 4. tr. 3. Ref. 13.

§. 1. **A**bsolutè loquendo in tali casu votum obligare ad sui observationem, vel non transgressionem, ac proinde non posse voentem contra id votum operari sine legitima dispensatione, docet Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 6. n. 12.* Filiucius *1. 2. tr. 26. c. 3. n. 90.* Faustus *in thes. Relig. lib. 1. quest. 18.* quia ad valorem voti duo necessaria requiruntur, primum vt homo velit se obligare; secundum est vt Deus acceptet; quando ergo quis est dubius de honestate materiae, non est dubius de valore voti ex parte suae voluntatis, sed est dubius ex parte Dei acceptantis. Ergo cum homo de voluntate sua sit certus, tenetur procurare vt de diuina acceptatione certior fiat; tenetur ergo consultare Pontificem vt in eo dubio vel dispenset, vel interpretetur.

2. His tamen non obstantibus Sanchez *in summa 1. lib. 4. c. 6. n. 6.* putat absolutè quòd quando dubium est, an materia voti bona sit vel mala, votum non obligat, & hanc sententiam tenet etiam Sotus *lib. 7. quest. 1. art. 3.* & Castrus Palaus *1. 1. disp. 3. punct. 12. n. 2.* Bonacina *de voto q. 2. punct. 4. §. 2. n. 5.* & quando essent opiniones circa hanc bonitatem, vel malitiam, fas erit quamcumque amplecti, etiam minus probabilem; sed licet hæc opinio affirmatiua sit probabilis, negatiua tamen, quam docet Suarez, puto probabiliorem.

RESOL. XVIII.

An dubius de voto, & iuramento teneatur illa adimplere?

Et an qui certus est se emisisse votum Religionis, si dubius sit an Religionis in communi, vel huius in particulari, possit quamlibet ingredi?

Et quid dicendum est, si quis certus est, quod vouerit se non accessurum ad aliquam foeminam, & dubitat, num de accessu fornicario, vel vxorario senserit, an teneatur abstinere à nuptiis?

Et aliqua alia in textu huius Resolutionis inferuntur, & docentur, circa votum dubium castitatis, Religionis, Rosarij recitationem, &c.

Et tandem queritur, dubius an habuerit voluntatem se obligandi voto, quid faciendum? Ex p. 4. tr. 3. Ref. 10.

Sup. hoc in Ref. seq. Et aduerte quod doctrina huius §. 1. & seq. potest applicari multis questionibus huius tract. Imo

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Basilius Pontius *de matr. lib. 10. c. 15. n. 3.* Pesantius *in 1. 2. D. Thoma quest. 19. art. 6. disp. 3.* Valquez *in 1. 2. disp. 165. cap. 3. §. fine.* Azorius *tom. 1. lib. 2. cap. 19. quest. 10.* Sayrus *in clauis regia lib. 1. cap. 13. num. 36.* Antonius Perez *in laurea Salaman. certam 10. scholast. dub. 2. num. 132.* & nouissimè Turrianus *opuscul. 10. disp. 1. dub. 1. & de cens. lib. 8. disp. 57. dub. 5. ad 3. arg.* & hanc sententiam tenet Petrus Cornejo *in 1. 2. D. Thoma tract.*

8. quest. 19. disp. 4. dub. 2. num. 2. & dub. 3. num. 6. cum Salas *in 1. 2. tract. 8. disp. unica. sect. 17. num. 161.* & sect. 25. num. 252. & 253. cum hac tamen limitatione, quando in voti adimpletionem non est magna incommoditas, seu difficultas, quia in dubiis turis pars est eligenda, nec iuuat possessio extra maritiam iustitia.

2. Sed contrariam sententiam absolutè tenendam esse puto, quam tenet Malderus *in 1. 2. D. Thoma quest. 19. art. 5. disp. 87.* Villalobos *tom. 1. tract. 1. difficult. 2. 1. num. 2.* Faustus *in thes. relig. lib. 1. quest. 23. num. 4.* Layman *lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4. num. 31.* Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 1. disp. 9. num. 11.* & *in summa 1. 1. lib. 4. cap. 1. num. 16.* Suarez *de censur. disp. 40. sect. 5. num. 15.* Rebellius *1. 2. lib. 1. quest. 3. sect. 1. num. 10.* & 11. Reginald. *tom. 2. lib. 18. num. 170.* Henricus *lib. 8. cap. 4. num. 3. in glossa litt. P. Filiucius tom. 2. tract. 2. 1. cap. 4. num. 165.* Auila *de cens. part. 7. disp. 2. dub. 5. concl. 2.* Fagundez *1. 2. lib. 2. cap. 1. num. 10.* Alvarez *in 1. 2. quest. 19. art. 6. disp. 79. num. 3.* Sotus *de iust. lib. 7. quest. 3. art. 2. Medina in summa lib. 1. cap. 14. §. 7.* & alij penes ipsos. Ratio est, quia in nostro casu nulla est possessio pro voto, vel iuramento, sed tunc pro libertate voluntatis, & hanc opinionem veram esse puto contra Garziam *de benefic. tom. 2. part. 7. cap. 2. num. 26.* non solum quando votum est affirmatiuum de aliquo opere faciendum, sed etiam si sit negatiuum de non faciendo, tunc enim in dubio neque obligat votum, vt rectè obseruat Merolla *tom. 1. disp. 3. c. 3. c. 1. rollar. 2. num. 83.*

3. Ex his inferitur primò certum se emisisse votum Religionis, & si dubium sit an Religionis in communi, vel huius in particulari, posse quamlibet ingredi, quia possessio extat pro libertate. Secundo inferunt, qui certus est quòd vouerit se non accessurum ad aliquam foeminam, & dubitat num de accessu fornicario, vel vxorario senserit, non tenetur abstinere à nuptiis, quia possessio stat pro libertate. Ita Sanctius *in selectis disp. 43. n. 3.* & 4. qui citat alterum Sanctium *de matrim. tom. 1. lib. 2. disp. 41. num. 33.* quibus ego addo Petrum Cornejo *in 1. 2. D. Thoma tract. 8. quest. 19. disp. 4. dub. 2.* Tertio inferunt, si quis certus est se uouisse castitatem aut perpetuam, aut temporalem, & est continuo verborum voti immemor, sed tantum certum est se alteram promississe, ad solam temporalem, quæ minor est, est tenetur; secus autem si memor sit verborum voti, vt, v. g. voueo castitatem, nam hæc verba perpetuam quamdam important. Ita Sanchez *in summa tom. 1. lib. 4. cap. 13. nu. 16. & seq.* Quarto inferunt contra Nauarum *lib. 3. consil. tit. de voto, in prima edit. consil. 16. n. 90.* & *in posteriori consil. 26. n. 2.* eum qui vouit Religionem, dubitat autem vtrum vouerit se profecturum, non teneri ad professionem. Ita Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 4. c. 8. n. 7.* qui n. 5. tenet etiam quòd si quis vouit quotidie dicere Rosarium, dubitat autem postea an per Rosarium intellexerit integrum Rosarium, vel tantum tertiam partem eius, potest eligere tertiam partem, quia etiam tertia pars Rosarium Virginis appellatur, & obligatio cum sit dubia, strictè interpretanda est.

4. Notandum est tamen hic obiter, quod Alphonsus de Leone *in tract. de possess. confess. part. 1. recollect. 17. conclus. 8. n. 93.* docet, quòd dubius an habuerit voluntatem se obligandi voto, etiam interpretari potest, se non habuisse talem voluntatem, quia sciendum est libertati, & citat Rebellium *part. 1. lib. 2. quest. 14.* Sed de dictis Rebellius nec ibi, nec alio loco hanc sententiam tenet, & mihi non placet, nam quando aliquis est obligatus de voto, sed dubitat an habuerit animam se obligandi, tunc possessio non est pro libertate voluntatis, sed pro voto, vt post alios docet Merolla *vbi supra 10. 1. disp. 3. cap. 3. n. 83.* ergo, &c.

RESOL.